

Werra 250 (1-14)



14

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA
DE
CAVTO REGIMINIS CALIDI
V S V

QVAM
INDVLTV
GRATIOSI MEDICORVM ORDINIS
IN ALMA REGIA FRIDERICIANA
P R A E S I D E
D. ANDREA ELIA BÜCHNERO

SACRI ROMANI IMPERII NOBILI,
POTENTISSIMI PRVSSIAE REGIS A CONSILII INTIMIS,
MEDICINAE ET PHILOSOPHIAE NATVRALIS PROFESSORE PVBLICO ORDINARIO,
FACVLT. MED. ET PHILOSOPH. R. T. DECANO, REGIOR. ALVMN. EPHORO,
IMPERIALIS ACAD. NAT. CVRIOSOR. PRAESIDE ET COMITE PALAT. CAESAREO,
REGIARVM SOCIETATVM SCIENTIARVM, ANGLICANAE, BEROLINENS.
ET MONSPELIENS. SODALI,

PRO GRADV DOCTORIS
SVMNISQVE IN MEDICINA HONORIBVS
ET PRIVILEGIIS DOCTORALIBVS RITE CONSEQVENDIS

D. V. OCTOBR. A. R. S. MDCCCXLVIII.

PVBLICE DEFENDET

AVCTOR

IOANNES LVDOVICVS KVLTVS
GEDANENSIS.

HALAE AD SALAM, STANNO TRAMPIANO.



DISSELTATIO IN AVGVRAE MEDICA
V. P. R. O.
CAVTO REGIMINIS CALIDI
EXCELLENTISSIMO

JOHANNES GRADY
MAGISTER ABBOTIS
D. ANDREA ELIA BUCHNERO

PROFESSORIS
MAGISTRI ABBOTIS
MAGISTRI ABBOTIS
MAGISTRI ABBOTIS
MAGISTRI ABBOTIS
MAGISTRI ABBOTIS
MAGISTRI ABBOTIS
MAGISTRI ABBOTIS

PRO GRADY DOCTORIS
MAGISTRI ABBOTIS
MAGISTRI ABBOTIS
MAGISTRI ABBOTIS
MAGISTRI ABBOTIS
MAGISTRI ABBOTIS
MAGISTRI ABBOTIS
MAGISTRI ABBOTIS

MAGISTRI ABBOTIS
MAGISTRI ABBOTIS
MAGISTRI ABBOTIS
MAGISTRI ABBOTIS



V I R O

EXCELLENTISSIMO, EXPERIENTISSIMO

DOCTISSIMOQVE

D O M I N O

IOANNI ERNESTO KVL MVS

MEDICINAE DOCTORI,

CIVITATIS GEDANENSIS PROTOPHYSICO,

ORDINIS MEDICI SVBSENIORI,

ET SOCIET. TEVTON. LIPSIENS. MEMBRO HONORARIO.

PATRI OPTIMO

V A C T O R



PRIMITIAS HASCE ACADEMICAS

VT

PIETATIS, GRATISSIMI ANIMI
ET OBSEQVII

SIGNVM

DEVOTA ET OBSTRACTISSIMA MENTE

OFFERT

AVCTOR.



Quam TVO, OPTIME PATER, assensu dignatus es scriptionis materiam, TIBI etiam, cui tot tantaque debeo, elaboratam inscribo, spe fretus, id, quod in ea tractanda et enodanda humani passus sum, paternum amorem iuventuti et viribus daturum nondum satis exercitatis, TEQUE hoc, leuidense licet, filialis obseruantiae signum paterna TVA benignitate accepturum. Sine simul, VENERANDE PARENS, vt TIBI, data hac exoptatissima occasione, pro innumeris, ab ineunte aetate



tate a TE in mē profectis beneficiis, gra-
tias, easque publicas, agam, meamque
obstrictissimam mentem summa, qua par
est, pietate declarem; quid enim est, quo
gloriarī possem, quodque TIBI non debe-
rem? Nullum certe v̄mquam vitae meae
diem, beneficiorum TVORVM imme-
mor, transigam; atque numquam patiar
diem elabi, quo non humillima & deuotis-
sima vota pro TVA, DILECTISSIME
PATER, incolumitate vitaeque diutur-
nitate ad DEVM T. O. M. mitterem. Vale,
OPTIME PATER, et paterna TVA bene-
volentia numquam indignum iudices

Filium obsequiosissimum,
IOANNEM LVDOVICVM KVLTVS.





DISSERTATIO INAUGVRALIS MEDICA
DE
CAVTO
REGIMINIS CALIDI
VSV.

§. I.

Introitus et tractationis ordo.



Non defunt equidem inuidenda Medicorum
seripta, quae commoda et incommoda,
inde a regimine calido siue exspectanda,
siue metuenda, exponunt, eaque viuidis-
simis coloribus depicta sistunt; vix tamen eo me adduci
patiar, vt credam, aequos Scriptorum academicorum cen-

A 2

fores



fores hoc quaecunque Specimen, quod illa fere recoquit, superuacaneum habituros, cum tot obseruentur Medici, qui, non obstantibus istis, quae laudavi, scriptis, vel non satis de eorum veritate conuicti esse videantur, vel regulas tamen, inde deducendas, tam in tuenda, quam in restituenda hominum sanitate, negligant; quod quidem, quam turpe sit, nemo non videt. Plerumque in admittendo *regimine* magis *calido* peccatur, hominibus de calore potius, quam de frigore sollicitis. Hinc in sanis debilitas corporis, neruorum et fibrarum muscularium teneritudo, dolores, spasmi, innumera mala; in aegris vero non raro morborum praesentium eorumque symptomatum incrementum, atque, dum noui morbi ex calore nimio accedunt, complicationes oriuntur: Medico tunc culpando omne vitae periculum satis sapienter in morborum grauitatem naturamque viribus fractam conuicente, quod prudentior Medicus a solo nimis calido regimine deduxisset. Licet autem tam frequenter homines et Medici delinquant, quod calidum nimis regimen aut admittant, aut commendent: attamen contingit etiam, ut frigidiori, quam fas est, regimini sese exponant homines, et Medici inueniantur, qui, in suadendo eiusmodi regimine, nimii sunt, quorum mihi celeberr. *Dimsdale* referre liceat, nouissimum de Variolarum infectione eiusque methodo auctorem, cuius sententiam dein limae subiiciam. Quae cum ita sint, atque quod regimen calidum frigidumue attinet, ex omni fere parte a sanis, aegris et ipsis Medicis peccetur:

de



de cauto Regiminis calidi usu, tam in fanis, quam in aegrotis necessario, differere mecum constitui. Quod vt recte fiat: sequenti vtar veritatum proponendarum ordine. Exponam primo: quid regiminis voce Medicis generatim venire soleat? dein: quid regimen speciatiim calidum sit? postea: quaenam sint regiminis calidi media, et quam haec ratione corporis humani calorem augeant? Demum: quinam generales regiminis calidioris effectus: tam in sanitate, quam morbofo statu compareant? quos denique ad speciales quosdam morbos ita referam, vt salus et noxae illius satis innotescant. Faxit DEVS feliciter!

§. II.

Regiminis definitio et differentiae.

Solent Medici *regiminis* voce modum intelligere, quo rebus, ad artem medicam spectantibus, quatenus sanitatem corporis humani mutare valent, vtimur. Sic si modum nouimus, quo quis aëre, animi pathematibus, cibo et potu, motu et quiete, reliquisque rebus sex non-naturalibus vtitur: vitae illius regimen cognitum habemus. Tunc vero non solum intelligimus modum, quo quis hac illaue re vtatur, sed perspicimus quoque malum bonumue *eiusmodi* rerum vsum, quae ad artem medicam spectant, quatenus sanitatem mutare valent, seu, quod perinde est, quatenus ad artem medicam spectant. Quando etiam Medicus aegro modum

dum exponit, quo uti is debet medicamentis et remediis, ut fanitas illius restituatur: Medicum aegro *regimen* praescrip-
 sisse dicimus. Nonne vero tunc iterum usum eiusmodi re-
 rum, quae mutandae aduersae valetudini inseruiunt, respi-
 cimus? Chemicis simili fere ratione regiminis vocabulum
 usurpant; solent enim gradum et modum, quae ignis adhi-
 beri debet, *regimen ignis* vocare. Quando ceterum regi-
 minis notio, qualem Medicina requirit, quamque suppedi-
 tati, postulat modum istis rebus utendi, quae non solum
 ad Medicinam pertinent, sed eatenus etiam considerantur,
quatenus sanitatem mutare valent: caue existimes, haec verba
 superflua esse et otiosa. Possumus enim rebus quibusdam
 ad medicam artem spectantibus, v. g. motu brachii, igne,
 calore, etc. ita hoc illoue modo uti, ut mutatae, per istarum
 rerum usum, fanitatis nullam habeamus rationem, atque
 tunc eiusmodi usum non solemus ad regimen, quod Medi-
 cis ita audit, referre, eam vocem hoc demum in casu adhi-
 bentes, quando praedictarum rerum usum cum fanitate siue
 integra, siue afflicta comparamus, atque de illarum ad hanc
 respectu intelligendo solliciti sumus. Verum satis iam de
 regiminis definitione. Quod *differentias* illius attinet: illae
 quidem multiplices constitui possunt. Nempe 1. quatenus
is, cuius regimen consideramus, vel sanus est, vel morbo laborat,
 quam differentiam superhabere non decet, cum regimen
 aegri saepe aliud esse debeat, ac sani; 2. quatenus *res,*
quarum adhibendi modus perpenditur, sunt vel res non-naturales,
 vel

vel non. Illud regimen, quod res non-naturales respicit, proprie vocari solet *regimen vitae*, licet sint, qui vitae regimen adhuc distinguant a *diaeta*, ita, vt illo intelligant vsura aëris, animi pathematum, motus et quietis, somni et vigiliarum, excretorum et retentorum, *haec* vero vsus cibi et potus speciatim significant. 3. Quatenus *regimen* quoddam *conuenit*, aut non: Vnde *congruum*, *incongruum*, *bonum* *malum*ue est. 4. Quatenus *hos illosue sensibiles mutationes in corpore producit*. Hinc *frigidum*, *calidum*, *temperatum*, *siccum* et *humidum* regimen concipi potest. Si iam ab hisce generalioribus regiminis differentiis discesseris, vix credo, quasdam adhuc esse, quae considerationem mereantur.

§. III.

Regimen calidum speciatim definitur.

Inter hasce regiminis differentes species, illud, quod calidum nuncupatur, nostro scrutinio maxime dignum est, cuius ergo definitio praemitti debet. Est scilicet *regimen calidum* illud regimen, quo caloris gradus in corpore humano adaugetur. Ita dicimus, hominem vii regimine calido, quando aëris calori intensiori sese exponit, quando corpus eiusque perimetrum vestimentis inuoluit, quae contactum aëris externi valde prohibent, quando vino, et spirituosis, et aromatibus, et sic porro, multum vitur; verum omnia haec augent caloris gradum, qui corpori humano competit.

petit. Facile ceterum patet, neque regimen calidum generatim, neque id, quod in eo adeo frequenter est nimium, determinari debere ex hoc illius caloris gradu, quem corpus quoddam aut qualitas corporis producere valet, sed ex eo potius gradu, quem *verè* in hoc illius subiecto accendit; est enim ea hominum natura, vt non omnes ab vna eademque re, aequali semper gradu, afficiantur, quo fit quoque, vt regimen quoddam, ad hunc relatum, calidum esse queat, quod, si alius eo vtatur, temperatum ipsi videtur. Cauendum praeterea, ne gradum caloris, in diiudicando regimine, ex sensatione hominum dimeriamur; potest enim sensatio caloris in homine, sine vero caloris augmento, augeri, et calor contra ea increfcere, licet eius incrementum non sentiat homo.

§. IV.

Quae regimen constituent calidum.

Proposita regiminis, cuius commoda et incommoda considerationi nostrae subiicere constituimus, definitione, ea enarrabimus, quae media illius sunt. Spectant nempe huc
 1. aër calidus, inclusus praecipue et materia perspirabili animalium repletus; 2. calor ab igne, corpori admoto; 3. vestimenta, quae contactum aëris externi cum cute notabili in gradu impediunt; 4. animi pathemata, quae actiones cordis et arteriarum viuidiore et validiore reddunt,
 qualia

qualia sunt gaudium et iracundia; 5. cibi saliti, aromatici, ex animali regno petiti, prae illis, quae vegetabile subministrat regnum; 6. potus calidi aromatici, spirituoſi, acres, resinofi, plus minusue amaricantes; 7. vigiliae nimiae et protractae; 8. motus corporis, diu imprimis continuatus et frequentior; 9. retentio acrium, sudoris, bilis et urinae potiffimum, in corpore; 10. euacuatio immoderata laudabilium succorum, v. g. feminis, quatenus tanta est, vt colliquantes inde motus febriles oriantur; 11. retentio haemorrhagiarum naturalium inordinata, quae saltim, producta plethora, ad concipiendos calores maiores homines disponit; 12. medicamenta acria, spirituoſa, resinosa, valde amara, opiata, potenter resoluentia; 13. remedia familiae externe corpori admota, v. g. clysteres valde stimulant, vesicatoria aliaque irritantia; 14. balnea aquae calidae et his similia.

§. V.

Caloris naturalis causae generales.

Vt causa iam et ratio intelligi queat, quare praedicta calorem corporis humani augeant: iuuabit ex Philosophia naturali causas caloris naturalis generales repetere atque strictim exponere. Tribuimus corpori cuidam *calorem*, quatenus cognitum habemus, illud vel vere istam sensationem, quam calorem aestumque nominare solemus, in nobis

B

exci-



excitasse, vel eandem saltim, si nempe corpori nostro congrue admoeretur, producere posse. Nunc sensatio quaevis, a corpore animali oriunda, ponit mutationem nervorum, ad sensorium commune propagatam, atque eiusmodi quidem, quae in motu tremulo tam fluidi nervei, quam medullaris nervorum substantiae, consistit. Quare corpora, quibus calorem assignamus, facultate gaudere debent, tremulum in nervis concitandi motum. Nunc vero observando discimus, quod, quae nos ambit corporum congeries, saepe quidem, minime tamen semper caloris in nobis excitet ideam. Quapropter assumamus necesse est, omnia, quae nostro solent admoeri, corpora, dispositione quadam ad concipiendum calorem gaudere, licet is saepe, data demum occasione, in iisdem deregatur et praesto sit. Determinari itaque debet, quid non solum illa, quam diximus, dispositio corporum inuoluat, sed quid postulet etiam generatim occasionalis causa, cuius praesentia demum fit, ut corpora, plurima saltim, calore afficiantur. Nouimus, validiorem lucis, quae sine dubio materiam inuoluit, actionem, caloris ideam suscitare; corpora innumera, quae insigniori in gradu calorem conceperunt, excandescere demum aut flammam concipere, quod utrumque materiae cuiusdam liberationem manifesto prodit; corporum demum calorem omnes mutationes inferre, quae a materiali quadam causa expectari possunt. Concludimus hinc, id, quod corporum calorem efficit, esse *materiam* quandam, cuius phaenomena
reliqua

reliqua fatis nota docent, eam esse *fluidam, tenuissimam, elasticam, singularem*. Dixerunt hanc Physici *ignem elementarem*, a cuius ergo in corporibus praesentia eorum ad concipiendos calores dispositio pendet. Cum vero sola huius materiae praesentia nondum sufficiat, ut calor oriatur, dum innumera corpora frigida nobis appareant, licet insigni elementaris ignis quantitate gaudeant; sequitur, praeter ignis elementaris praesentiam, aliud adhuc requiri, cuius demum actione ignis elementaris ita afficitur, ut calorem producat. Calor est corporea mutatio, a corpore, quod vidimus, licet tenuissimo, pendens; omnia vero corpora in motum demum abrepta agunt; non potest ergo ignis elementaris, nisi commotus sit, calorem efficere. Nunc autem ignis elementaris fluidum est summopere elasticum, hincque ad concipiendos tremores aptissimum; lux porro, cuius actio caloris actioni similis est, sensationem in nervis tremoris ope, in particulis minimis concitati, absoluit; nullus denique, si a motu tremulo discesseris, assignari potest, quo possit ignis elementaris caloris causa existere. Motus eapropter ignis elementaris tremulus vera est caloris, quo corpora gaudent, causa. Hinc vero duplex generalis corporum caloris eruitur causa. Orietur nempe I. quando *corpus, cui magna ignis elementaris quantitas inhaeret, in tremorem validiorem abripitur*, v. g. sub malleatione; II. quando *compages et cohaesio corporis, quocum ignis elementaris, capsulis quasi quibusdam inuolutus, commixtus est, minuitur, soluitur*, quod in solutionibus nonnullorum



corporum, quae magnam phlogisti copiam continent, fieri solet, atque etiam sub affricu corporum. Pluribus de his conferri potest Illustr. EBERHARDI *Naturlebre*, Edit. 3. Part. II. Cap. 4. pag. 333 seq.

§. VI.

Causæ caloris corporis humani naturalis.

Cum regiminis calidi, in augendo corporis humani calore, effectum immediate deducere nos oporteat ex illarum causarum incremento, quae naturalem corporis humani generant calorem: necesse iam est, ut ex praedictis (§. anteced.) ortum caloris in corpore humano euoluamus. Calor corporis nostri (omissa iam sensatione illius, utpote quae facultatem sentiendi simul inuoluit,) generatim a sanguinis calore pendet, quod nemo negabit, qui considerat, augeri et minui calorem in parte pro ratione copiae, qua sanguis in illa praesto est, et caloris, quo appulsus sanguis gaudet. Verum sanguis insignem continet phlogisti quantitatem: phlogiston autem igne elementari diues est (per princ. Physic.), quod corpora ad concipiendum calorem disponit (§. anteced.). Sanguis itaque humanus tamquam eiusmodi fluidum concipi debet, quod praedisponentem caloris causam oppido tenet. Restat, ut ostendamus, quibusnam ex causis motus ignis elementaris, sanguini inhaerentis, tremulus in statu sanitatis perficiatur (§. anteced.). Fit id i. *af-*
fridu

frictu sanguinis in minimis praecipue vasculis. Affrictus enim corporum, igne elementari scarentium, huius non solum motum tremulum, sed etiam liberationem efficit, hincque calorem (§. anteced.). Cum itaque sanguis humanus, in minimis potissimum vasculis, insignem attritum patiatur: sequitur, hunc esse caloris, in sanguine non solum, sed in corpore generatim humano praesentis, causam. 2. *Actione salium resoluentium.* Ea enim contingit, ut phlogisticae quoque sanguinis particulae solvantur, indeque, quem reclusum continent, ignis liberetur elementaris. Qui pluribus haec demonstrata legere cupit, adeat Illustr. EBERHARDI Dissertat. de *Causa caloris in corpore animali.* Halae. 1766. Hisce tamen causis iungitur a nonnullis *continua fibrarum muscularium palpitatio*, sub qua non solum affrictus solidi cum solido, sed etiam calor oriatur. Auctor huius sententiae existit celeberr. Ioseph. Ludov. KÖGER, cuius *Specimen physiologic. de perpetua fibrarum muscularium palpitatione* (Göetting. 1760) conferatur pag. 67 seqq. Tantum is huic sententiae fauet, ut etiam omnes reliquas caloris humani causas reiiciat, omnemque huius caloris partem a continua fibrillarum muscularium tertii ordinis, quas MÛYRSIUS expedituit, palpitatione deducat atque repetat (l. c. Cap. X. pag. 76 seqq.). Nunc equidem continuam istarum fibrarum palpitationem negare, fatis de ea conuictus, minime ausim, neque etiam affrictum, sub perpetuo eiusmodi motu oriundum, in dubium voco, quamuis cum res ad minimas corporis humani particulas

B 3

redeat,

redeat, quarum vicinitatem non satis accurate definire possumus, paullulum de eius praesentia dubitare liceret: tantam tamen huic palpitationi, in fuscitando calore humano, efficaciam, quantam vult KOGER, vix tribuere possumus, cum calor corporis potius sanguinis mutationibus, quam palpitationis vel incremento, vel decremento respondeat. Notauit quoque KOGER, augeri fibrarum muscularium palpitationem, quando nerui musculares debilitantur; quem vero fugit, eo in statu non raro frigus et sentiri ab aegro, et vere etiam adesse? Praeterea si constiterit quoque, fibrarum muscularium palpitationem calorem efficere: cauendum nihilo minus esset, ne credamus, eam ideo solummodo humanum accendere calorem, quod affricum solidi cum solido perficiat. Vasa enim minima comitantur minimas fibrillas, quas oculus tantum armatus vsurpat; nonne ergo assumi posset, palpitationem fibrillarum muscularium tertii ordinis, commouere sanguinem, in minimis illis vasculis contentum, obque auctum demum huius cum vasorum lateribus affricum calorem producere? Neglexi itaque hanc caloris humani causam, cum mihi nondum satis probabilis videatur, eam ceterum aliorum iudicio relinquens. Ex pertractatis vero generalibus caloris naturalis causis, illae facile intelligi et erui poterunt, quae calori humano augmentum addere possunt. Increscet nempe is 1. quando *copia phlogisticarum sanguinis particularum augetur*; 2. quando *motus sanguinis progressus intenditur*, sicque affricus illius cum vasorum lateribus

in-



increfcit; 3. quando, *ceteris tamen manentibus, cohaefio fanguinis augmentum capit*, quo affricus iterum maior redditur et calor, prouti morbi inflammatorii teftantur; 4. quando *fanguis plus minusue refoluitur*, vnde ignis elementaris copiofus liberatur; 5. quando *corpus et fanguis*, manentibus femper caloris humani cauffis, *minus refrigerantur*; 6. quando demum *copia minimorum vaforum* *quafi adaugetur*, quo affricus intenditur, quodque a nonnullis vaforum fpafmis oriri potest.

§. VII.

Quomodo calor C. H. a cauffis, regimen calidum efficientibus, excitari et adaugeri poffit?

Quodfi nunc cum his, quae §. anteced. expofui, media regiminis calidi, §. IV. enarrata, conferantur: modus haud difficulter perfpicitur, quo omnia illa augmentum caloris humani afferant. *Nonnulla enim quantitatem phlogifticarum fanguinis particularum augent*, quorſum ſpirituofa, aromata et fimilia ſpectant. *Alia motum fanguinis intendunt*, prouti ira et gaudium, acria varia, potus calidi, refinofa, amara. *Quaedam fanguinem plus minusue cogunt*, ſpirituoforum exemplo. *Dantur quoque*, quae fanguinem magis refoluunt, vt ſales, acria varia, aer calidus. *Neque deficiunt*, quae, ob impeditam corporis et fanguinis refrigerationem, calorem augent, vt aer calidus, materia perſpirabili reple-

tus

tus et inclusus, vestimenta varia. *Demum* spasmus vasorum non vltima videtur esse caussa, qua animi pathemata, vt gaudium, et alia similia, suam in augendo calore humano exserunt actionem. Breuis ea in explicatione fui, cum actiones eorum, quae §. IV. descripsimus, aliunde iam notae, et generalia huius rei fundamenta in §§. proxime antecedentibus sufficienter exposita sint, quae ad quodlibet regiminis calidi medium facile applicari possunt. Duo interea sunt, quae hic notari adhuc merentur. *Aetque primo* quidem inter istas auctioris caloris caussas nonnullae occurrunt, quae aliis validius agunt, siue id nunc ideo fiat, quod plus simplici ratione calorem efficiant, siue eam ob causam contingat, quod reliquis potentius suo fungantur munere. *Dein* nonnullae inter illas inueniuntur, quae in statu sanitatis moderatius agunt, in statu vero morbofo longe interdum validius, propti ex altera parte aliae dantur, quae validius in sanis, minus potenter in nonnullis aegris calefaciunt. Sic victus animalis, cum scateant, quae huc referuntur, corpora, particulis phlogisticis, auget omnino calorem, sed moderatius in statu sanitatis, grauius longe in febre acuta et ex acredine nata. Ita clysteres, ex valde irritantibus compositi, in sanis forsitan subiectis adhibiti, gradum caloris multum augerent, in casibus vero apoplexiae serosae et aliis similibus morbis multo minus calefaciunt. Istaec autem differentiae, quoad actionem istorum remediorum occurrentes, generatim quidem notari debent, vt iudicium Medici in specialioribus casibus earum

earum cognitione dirigi queat; at a me, cum breuitatis habenda sit ratio, et generalia tantum exponere susceperim, fusius exponi non possunt.

§. VIII.

Effectus regiminis calidi in C.H. generales tempore sanitatis. Et quidem

a) *quoad liquida corporis humani.*

Perractatis nunc generalioribus momentis, quae ad intelligendam regiminis calidi naturam, scitu sunt necessaria: *effectus regiminis calidi* recenseri debent, vt ex iis demum recte consideratis appareat, cautos nos esse debere in permitiendo aequè, ac commendando eiusmodi regimine. Quae vero regula cum in sanitate non minus, quam in morbis obseruari debeat: opus est, vt regiminis calidi effectus, ad vtrumque corporis humani statum relati, paullo accuratius exponantur. Ab iis iam ordiar, qui *sanitatis* tempore, ab admissò regimine calido, obseruantur, atque ita circa eos versabor, vt ex tractatione illorum mutationes liquidorum, solidorum, integrarum functionum, partium singularium, quas generatim et in diuersis hominibus calidum producit regimen, innotescant. Quod itaque liquida corporis humani attinet: has illa a regimine calido patiuntur mutationes: I. *Copia illorum minuitur.* Non solum enim regimen calidum attritum solidorum et fluidorum auget, quo iam fit,

C

vt,



vt, ad replenda solidorum interstitia, pluribus opus sit particulis nutritiis, sed solet etiam intensiores et faciliores reddere fluidorum evacuationes, quae satis insignem humorum quantitatem educunt. Calidum itaque regimen, quod excedit, ad inopiam fluidorum laudabilium viam sternere potest. *II. Motum illorum intendit progressivum.* Calor enim tamquam stimulus, quo irritantur solida sensilia et irritabilia considerari potest; ab illius itaque augmento viuidiores redduntur solidorum motus, a quibus fluidorum motus progressivus pendet. *III. Resoluit fluida, alias ea condensat.* Calor enim auctus corpora quaecumque, hinc fluida quoque humana, expandit eaque rarefacit. Cum vero et liquida quaedam corpus humanum contineat, quae a calore facile condensantur, prouti id feri coagulabilis exemplo patet; cum calor nimium auctus motum solidorum valdopere intendat, quo diathesis phlogistica sanguini inferri potest; cum denique a calore se-et excretiones serosae ita augeri queant, vt liquidissimae humorum partis defectus inde oriatur: sequitur, calidum regimen liquida etiam humana condensare posse. Oriri hinc possunt in sanissimis antea subiectis *V. errores loci et stases.* Illi quidem, quando resolutio humorum tanta est, vt crassiora liquida attenuata, minora, fluidis istis non destinata, vasa ingrediantur; hae vero, quando ob sui condensationem liquida vterius vehi non possunt. *VI. Evacuaciones fortiores, nonnunquam vero earum suppressiones.* Calidum enim regimen fluida soluit, motum illorum intendit, erro-

errores loci producit; hinc euacuationes liquidorum increment. Quando vero motus fluidorum nimium intenditur: causa oritur, quae suppressere valet excretiones (per princip. Pathol.) Quare regimen nimis calidum minuet quoque euacuationes. VII. *Fluida plus minusue ad aëredinem disponit.* Intenor enim fluidorum motus, ipseque maior caloris gradus fluida corrumpunt. Regimen itaque calidum causa erit acrimoniae humorum, licet euacuationes serosae, quas auctiores producit regimen calidum, hoc incommodum, certo respectu, iterum minuant, cum sic soluta in sero acria expellantur. VIII. *Humores in his illisue partibus, minus, quam reliquae, resistentibus, accumulatur, sicque ab aliis derivatur.* Motum enim fluidorum celeriores reddit, quo fit, ut intra datum tempus plus humorum ad minus resistentes praecipue partes vehatur, inque iisdem accumulatur. Hinc vero derivatio ab aliis partibus nascitur.

§. IX.

b) *Quoad solida corporis humani.*

Solet vero calidum regimen solida corporis non minus afficere. Oriuntur nempe inde affectus, quos protinus dicam: I. *Vis cohaerentiae in solidis minuitur.* Calor enim dura etiam metalla expandit. Quanto ergo facilius vim cohaerentiae in solidis minuere valebit! II. *Interdum solida corporis humani exsiccat.* Cum enim defectum fluidorum inducere soleat, si nimius sit calor (§. anteced.), regimen quo-

que calidum eandem mutationem, hincque solidorum siccitatem, inferre poterit. III. *Nervos et fibras musculares*, si excessus in eo admittatur, *debilitat, sensibiliores magisque irritabiles reddit*. Quando enim vis cohaerentiae in nervis et fibris muscularibus nimium decrescit, ita tamen, vt huius rei causa lateat, quae *laxitatem* infert: oritur in iis teneritudo, maior sensilitas et irritabilitas. Calor itaque generatim, hincque etiam regimen calidum, has sequelas producere possunt. IV. *Disponit, si abusus illius admittatur, ad spasmos, dolores, malum hypochondriacum et hystericum*. Neruorum enim et fibrarum muscularium teneritudo, sensilitatis et irritabilitatis excessus his vitiis fauent (n. III.). V. *Motum solidorum viuidiorem, minus tamen saepe validum et constantem, excitat*. Calor enim non solum generatim caussis irritantibus adnumerari debet, sed motum etiam fluidorum adauget (§. antec. n. II.), qui nouum sistit stimulum. Regimen itaque calidum viuidiorem solidorum motum inducat necesse est. Cum vero solida non minus debilitet (n. I. III.): fit inde, vt viuidiore ista motus minus saepe sint validi et constantes.

§. X.

c) *Quoad integras corporis humani functiones.*

Mutationes, quas regimen calidum tam solidis, quam fluidis corporis humani infert (§§. VIII. IX.), nos ad earum mutationum considerationem ducunt, quae in integris a regimi-

gimine calido oriuntur functionibus. Atque functio primo *cordis et arteriarum* a regimine calido, si moderatum fuerit, optime conseruatur, cum suum sic sanguis fluorem (§. VIII. n. III.), cor et arteriae suam flexilitatem et ad motus subeundos aptitudinem (§. anteced. n. I.), retineant, calor denique moderatus, tamquam stimulus, motus cordis et arteriarum blande promoueat (§. anteced. n. V.). Quando contra ea nimii sunt in admittendo calido regimine homines fani: febri-les oriuntur impetus (§. VIII. n. II.), stases et errores loci (§. c. n. III.), lipothymia et syncope (§. cit. n. I. §. IX. n. III. IV.), quae certe mala non adeo leuia sunt, vt fusque deque haberi queant. Quod dein *respirationem* attinet: calidum quidem regimen, tantum solummodo admissum, quantum necesse est, vt nociui frigoris effectus praepediantur, conseruandae huius functionis integritati quam optime inseruit, cum motum sanguinis per pulmones totumque corpus libiorem reddat, ingressumque aeque ac egressum aëris adiu-uet, excessus autem in isto regimine tanto etiam maioribus et multiplicibus damnis stipatus sit. Celerior enim, qui tunc contingit, sanguinis circulus, anxiam maxime reddit respirationem, quid? quod sufflaminat eam penitus, quando lipothymiam et syncopen producit. Neruorum et fibrarum muscularium functiones, quae *animales* constituunt, non minus ac reliquae a regimine moderate calido in sua conser-uantur integritate, dum sic flexilitas fibrarum permanet, ad subeundos motus necessaria, secretiones quoque fluidi



nervei viuidius perficiuntur (§§. VIII. IX.). Regimen vero nimis calidum nervis et fibris muscularibus debilitatem infert (§. anteced.), frangit eorum actiones harumque constantiam, motus inordinatos excitat (§. cit.), animam demum ipsam afficit et torpentem reddit. Functiones porro *naturales* optime procedunt, quando regimine utimur moderate calido: digestio nempe, secretio, excretio, sanguificatio, etc. A regimine vero nimis calido turbantur omnes. Se- et excretiones inde vel nimium augentur, vel sufflaminantur, vel errore loci producto, alienantur (§. VIII.); digestio et chylificatio modo ob debilitatem partium (§. IX), modo ob corruptionem fluidorum secretorum, bilis potissimum, utpote ad concipiendum rancorem et putredinem maxime proclivis (§. VIII.), modo ob fermentationem et putredinem corporum ingestorum, quam immoderatus calor adiuuat, minuuntur et turbantur; sanguificatio demum, quae placidum sanguinis motum solidorumque robur constans sibi vindicat, non poterit non a nimis calido regimine turbari (§§. VIII. IX.), imprimis cum illud ipsum regimen digestionem et chylificationem turbet maleque afficiat. Neque demum functiones *sexus* omitti hic debent. Cum earum integritas a nervorum et solidorum robore et actione viuidiori, et a perenni fluidorum, ad perficiendas istas actiones necessariorum, secretionem pendeat: calidum regimen, si moderatum fuerit, his quoque functionibus inferuire, facile intelligitur (§§. VIII. IX.). Eius vero excessus nocet, quando partes debilitat in-

que

que feminis praecipue fluorem album, aut menses vel excedentes, vel suppressos inducit, quae mala sexus functiones mirifice solent turbare.

§. XI.

a) *Quoad partes singulares, quae a regimine calido praeter ceteris afficiuntur.*

Non raro contingit, ut haec illaue corporis humani pars prae reliquis calido exponatur regimini. Necessè itaque est, ut illi etiam huius regiminis effectus, qui in singularibus partibus comparere solent, generatim et strictim describantur. Oriri solet in eiusmodi parte I. *maior erga frigus sensilitas*, unde fit, ut, si eiusmodi pars se- et excretoria sit, excretiones fluidorum, quavis fere data occasione, supprimantur. Dari hinc potest ratio, quare vestimenta nimis calida, quibus peripheria corporis inuoluitur, disponant homines ad catarrhales defluxiones. II. *Relaxatio*, indeque pendens humorum modo feroforum, modo sanguinis, *accumulatio* et congestio. III. *Augmentam se- et excretionis*. Hinc fluoris albi ortus a balneis calidis frequentius adhibitis, quando vapores, ipsaque calida aqua, partibus simul genitalibus adplicentur, et ab abusu ollarum, quae a candentibus quos continent, carbonibus nomen receperunt, perspicitur. IV. *Haemorrhagias producit, praesentes vero vel auget, vel suppressit*. Motu fluidorum intensiori (§. VIII.) vasorum relaxa-

laxatione (§.IX.), et errore loci (§.VIII.), haemorrhagias producit et auget. Quando vero nimis intensus fluidorum motus eorumque spissitudo naturales haemorrhagias supprimunt, simileque quid metuendum a nimia vasorum laxitate, mensum vitiis id praecipue testantibus: sequitur, regimen calidum posse non minus naturales partium quarundam haemorrhagias suppressere. V. *Dispositionem ad concipiendos prae reliquis morbos parti inducit.* Debilitat enim partes easque relaxat, quo fit, vt omne impurum, omnis orgasmus, ceteraeque causae morbificae, has potius partes, quam reliquas, vtpote magis resistentes, afficiant atque perturbent.

§. XII.

e) *Quoad corpora hominum diuersa.*

Supereft, vt in considerandis regiminis calidi effectibus, quos sanitatis tempore exferit, differentias hominum, quas aetas, sexus, temperamenta, robur naturale et vitae genus inducunt, cum regimine calido generatim consideremus. *Quoad aetates:* pueris et senibus maxime regimen calidum conuenit, minus vero reliquis aetatibus. Pueri enim, puellae, infantes, maximopere morbis ex acri fero suppressaque transpiratione patent; senum autem corpora resciente calore, ob rigiditatem solidorumque torporem, indigent; cauendum modo in illis, ne regimini calido nimis adfuefiant, quo non obseruato, innumera inde damna, per totam, quam

quam viuunt, vitam sese manifestantia, insignis praecipue sensilitas frigorisque impatientia, oriuntur. Aetas contra ea virilis et iuuenilis nec stimulis indigent, nec fortiora irritamenta sine damno ferunt; motus enim sanguinis celerior est et validior in istis aetatibus, illaeque ad concipiendam diathesin phlogisticam maxime pronae deprehenduntur. *Femellis*, ob maiorem fluidorum copiam obque sensilitatem erga frigus, conducit regimen calidum; caueant vero, ne eo abuntantur, alias laxitatis naturalis augmentum, malum hystericum, fluores albi, mensium vitia, infelix interdum puerperium, hinc enascuntur. *Potior* equidem *sexus* minus calido regimine indigere viderur, cum fortiores nactus sit actiones, perque continua corporis exercitia se et excretiones in eo integrae conferentur; moderatum interea, quod ad auertenda frigoris intensioris damna requiritur, sibi etiam vindicat, solida, alias iam fortia, facile rigida, et fluida, iam densiora, facile immeabilia euadunt. Calor immoderatus, quem viri admittunt, corpus effeminat, vires frangit, haemorrhagias insalubres, inflammationes et catarrhales affectus producit, viamque ad malum hypochondriacum sternit. *Temperamentum* phlegmaticum et melancholicum regimen calidius non solum ferunt, sed etiam postulant, illud quidem, cum ferum in eo abundet viscidaque pituita, hoc autem cum fluida sibi vindicet spissiora, solida vero rigidiora. Minus eiusmodi regimen perfertur a sanguineis et cholericis subiectis, quibus sanguis mobilis et dispositio ad haemorrhagias, in-

D

flam-



flammationes et morbos biliosos inest. *Valesudinarum* et natura debiles, cum sensiles sint, frigus non solum, sed etiam immoderatum calorem euitent necesse est. Caueant imprimis, ne regimini calido nimis indulgeant, vtpote quod tantum abest, vt ipsis solidum et constans lenimen afferat, vt potius, praesente corporis debilitate magis magisque aucta, insignia apportet nocumenta, corpusque erga frigus in dies sensilius reddat. *Vitae* demum *genus* laboriosum calido regimine minus opus habet, quo fere indiget otiosum, cum naturalem corporis minuat et exstinguat calorem. Ceterum, qui calido regimini adfueti sunt, facilius id ferunt, quam qui, aut necessitatis telo coacti, aut propria voluntate impulsii, frigidum saepe passi sunt regimen. Atque haec, quae passim exposui, ad regionum et populorum etiam diuersitates sine difficultate applicari possunt.

§. XIII.

Effectus regiminis calidi generales tempore morborum.

Pedem iam promoueo ad *effectus*, quos regimen calidum morborum tempore edit, quosque primo generatim, dein specialius considerabo. Cum vero diuersitas effectuum, a regimine calido in morbis oriundorum, ab iis, quos sanitatis tempore excludit, nulla alia assignari queat, quam quae ab indole praesentis morbi proficiscitur: in determi-

nan-

nandis, quos tractandos nunc suscepimus, regiminis calidi effectibus, ad morborum tantum differentias ita pertractati effectus (§. VIII-XII) referendi erunt, vt noxa et salus regiminis calidi in morbis suffioienter inde intelligatur. In generali itaque istorum effectuum consideratione, a qua ordiar necesse est, ad essentiales morborum simpliciorum differentias potissimum attendendum erit, licet accidentales etiam quaedam differentiae omitti non debeant. In *rigiditate* itaque solidorum eorumque *laxitate* calidius regimen non spernendos exserit effectus, cum rigida solida emolliat (§. IX.), laxa vero exsiccat (§. VIII.); in ea vero solidorum constitutione, quae *teneritudo* vocatur, quaeque auctam tam sensibilitatem quam irritabilitatem ponit, frigus non solum intensius (cum facile spasmos in subiectis adeo sensilibus efficiat), sed excessus quoque in admittendo calido regimine vitari debet, cum excedens calor ipse sit vera teneritudinis causa (§. IX.). *Plethoricis*, ad orgasmum iam pronis, calidum nimis regimen minus conuenit (§. VIII.), licet et frigus in plethoricis, fluida densando, solida constringendo, euacuationes supprimendo, noceat, hincque iisdem subiectis regimen moderate calidum commendari debeat. Qui *serosa* aut *pituitosa* colluue laborant, regimen paullo calidius postulant, vt torpentia solida caloris stimulo excitentur, serum copiosius euacuetur, pituita viscida resoluatur et languens calor naturalis eo, quem regimen calidum subministrat, resarciatur. *Inopia humorum*, generatim spectata, regimen



paullo calidius admittit et requirit; extinguit enim calorem naturalem, minuit vim cordis et arteriarum, motumque sanguinis, quae vitia paullo calidius regimen praepedit. *Spissitudo humorum atrabilaria*, utpote cum solidorum torpore et imminuta actione connexa, vindicat sibi quidem calidius regimen, quo et motus solidorum atque fluidorum intendi, et spissae particulae resolui possunt; cauendum vero, ne euacuationes inde nimium auctae euadant (§. VIII.), quo alias fieret, ut pauca aquei principii quantitas, in massa humorum adhuc praesens, expellatur, et atrabilaria spissitudo increseat. *Spissitudo oleosa*, ob copiam olei, ad subeundum rancorem valde procliuus, regimen calidius non fert, neque eo opus habet; *spissitudo* contra *eatenax*, quae a viscerum copia oritur, calorem corporis maiorem admittit, quo viscidum resolui potest. *Spissitudo* demum *inflammatoria* seu *phlogistica*, cum commota inflammationes producat, renuit magnum calorem, minorem autem requirit, cum frigus, vasa coarctans, sanguinis alias spissas particulas incarcerare queat. *Acrimonia* humorum, generatim considerata, eatenus quidem calidum regimen postulat, quatenus eo acriores redditae particulae, quas frigus deberet retinere, euacuantur; nimis vero calidum regimen eam facile auget, cum humores nostros ad concepiendas acrimonias disponat (§. VIII.). *Tenuitas* humorum quaeuis fortius resoluentia, hinc calidum quoque regimen interdicit (§. VIII.), eoque id magis, quo calidius est. *A motu humorum celeriore*, genera-

tim

tim spectato, praecipue vero eo, quem *fortitudo* seu impetus maior comitatur, regimen calidum abesse debet (§. VIII.); *languor circulationis*, nisi ab eminenti plethora pendeat, calido regimine admissio viuidior reddi potest (§§. VIII. IX.). *Congestio* sanguinis calidorum quorumvis, hinc regiminis quoque calidi, usum respuit (§. VIII.); *congestio* feri generatim calidum postulat regimen, cum eodem feri et deriuatio et euacuatio obtineri queat. *Inopiae* denique fluidorum *pariali*, admissio ad partem regimine calidiori obuiam ire possumus (§. VIII.). Atque ex his simul calidi regiminis respectus ad errores loci, stases, obstructions similesque morbos simpliciores, qui ex praedictis et fusius paullo consideratis morbis prosiliunt, intelligi possunt. Apparere quoque ex ante dictis ratio potest, quare *regimen calidum in acutis morbis longe minus, quam in chronicis* (loquor de plurimis casibus) *conducatur*. Morbi enim acuti cum aucta plerumque sensibilitate et irritabilitate, plethora, diathesi inflammatoria, congectione sanguinis, motu solidorum et fluidorum, tam quoad celeritatem, quam quoad fortitudinem et impetum, excedente, tenuitate humorum et acrimonia, a calore augenda, connexi sunt, longe vero alia est morborum chronicorum facies et origo. Laxitas et torpores solidorum, abundantia feri et viscidae pituitae, spissitudo atrabilaria, acrimonia vel acida, (quae calorem facilius fert, saepe etiam necessario postulat, ut in chlorosi et cachexia, quibus in morbis sanguificationem, summopere laesam, non raro excitat,) vel

viscido simul inuoluta, stases demum et obstructions lentae, morbos plerumque chronicos ingenerant. Nunc vero sub istis conditionibus, quae plerumque in morbis acutis obtinent, nocet regimen calidum, in iis autem conducit, quas morbi chronici plerisque in casibus ponunt

§. XIV.

Regiminis calidi effectus in corpus humanum Speciales, in morbis compositis comparentes.

I. Dolores et Spasmi.

Cum morborum ea sit ratio, ut, qui obseruantur et Medico curandi offeruntur, compositi sint, hi vero e simplicibus, tamquam suis elementis, consistunt: effectus regiminis calidi, quos §. antec. adumbrauimus, generaliores erunt, quos tempore morborum regimen calidum exserere valet. Ut vero huius regiminis effectus in casibus morborum specialioribus eo facilius cognosci possint: non abs re erit, praedictos eius effectus (§§. antec.) cum morbis magis minusue compositis conferre. Prodeant ergo primo *dolores et spasmi*, qui notabilem inter se alunt similitudinem. Quod si nunc regimen calidum i. cum *essentia* horum morborum comparare velis, cum ea in enormi aut fibrarum nervearum, aut fibrarum muscularium actione sita sit, atque calidum regimen tensa solida relaxare queat (§. IX.), videri pos-

posset, ac si regiminis calidi effectus, quoad spasmos et dolores, non nisi salubris esse queat, imprimis cum frigus multiplici ratione spasmos doloresque inducat. Neque negari potest, regimen temperatum ex spasms et doloribus decumbentibus generatim conducere, vt et tensio fibrarum minuatur, et nociui frigoris effectus praepediantur, quid? quod docet observatio, non raro dolores et spasmos regimine paullo calidiori quam optime dissipari. At enim verum quum calor ipsemet stimulus sit, atque haud infrequenter spasmos et dolores producat (§. IX): facile patet, ex sola istorum morborum essentia nondum satis sufficienter regiminis calidi salubrem aut nocivum in iisdem usum determinari posse. Necessè potius erit, vt simul 2. *causae remotae* attendantur, a quibus dolor et spasmus originem suam sumunt. Recte Pathologi omnes dolorum et spasmorum causas referunt ad *irritationem auctam, repletionem et inanitionem*. *Irritatione aucta* agunt: commotio generis neruosi immaterialis; impetus fluidorum maior; acrimonia humorum; stimuli alii varii, v.g. Vermes, Calculus, Vitrum, Venena acria. *Repletioni* corporis adnumerari possunt: abundantia fluidorum; congestio humorum versus partem nerueam aut muscularem; turgor materiae, v.g. aëris, ciborum, etc. in partibus irritabilibus et sensilibus; spissitudo liquidorum. *Inanitione* spasmos et dolores produciunt: haemorrhagiae aliaeque exeretiones enormes, inedia et congestiones humorum versus vnam partem, vnde saepe in opposita parte humorum defectus

fectus et spasmi oriuntur. Quodsi nunc praedictae et recensitae spasinorum dolorumque causae referantur ad ea, quae de regiminis calidi effectibus, quoad morbos simpliciores, §. anteced. dicta sunt: neminem latere potest, regimen temperate calidum, quatenus sufficit ad frigoris effectus praecauendos, in omnibus spasmis et doloribus conducere; regimen vero quod maiori in gradu calidum est, nonnumquam conducere, quatenus ab immateriali irritatione profectam neruorum et fibrarum muscularium tensionem minuit, ad loca exinanita humores deriuat, fluidorum defectum, inducta praesentium adhuc rarefactione, ad tempus refarcit, causamque interdum remotam horum morborum modo coquit solum, modo coctam simul expellit; saepius tamen non minus nocere, dum causam remotam, quando materialis est, vel auget, v.g. orgasmum, vel eius saltim actionem, v.g. acrium variorum, intendit, vel demum nouam praesentibus causis addit, stimulando, congerendo, incitando, salutaresque interdum euacuationes praepediendo (§. VIII.). Neque, in comparando regimine calido cum doloribus et spasmis, 3. horum *symptomata* omitti debent. Plurima eorum immediate a fibris nerueis et muscularibus, quatenus in enormi actione constitutae sunt, et a motu sanguinis intensiori pendunt, quorsum agrypniae, febres, deliria, inflammationes pertinent; alia vero a debilitate potius, a dolore demum et spasmis producta, oriuntur. Quod priora attinet, ea regimen nimis calidum interdicerere, illud vero tantum
sua-

suadere, quod ad frigoris effectus leniendos sufficit, manifestum est; posteriora autem facilius non solum calidum ferunt regimen, sed saepe etiam postulant, vt paralysis. Poterit ex his, quae strictim exposui, constare, quanta generatim cautione, quantaque scientia medica, in commendo, sub spasmodum et dolorum ferocia, regimine calidiori, opus sit, pluresque hic indagaciones instituendas esse, antequam quid definiatur.

§. XV.

II. *Paralyses morbique cum insensilitate connexi.*

Transeunt non raro spasmi et dolores in paralyses morbosque cum insensilitate connexos, lipothymiam praecipue et syncopen. Comparabimus itaque nunc regimen calidum cum praedictis morbis; sed breuis in ea re ero, cum haud difficulter determinetur. Constat ex Pathologia, paralyses aequae ac morbos, cum insensilitate connexos, a viuum torpore modo vniuersali, modo particulari proxime oriri, atque frequentissimas illorum causas remotas latere in laxitate et inertia solidorum, serositate, pituitositate, abundantia, spissitudine tam atrabilaria, quam oleosa, accumulatione, acrimonia, motu enormi et defectu fluidorum, hincque pendente plerumque aut atonia fibrarum, aut stasi fluidorum in vasculis fibris nerueis satis vicinis, vnde hae comprimuntur, aut, impedito sanguinis vel influxu in cor, vel

E

effluxu



effluxu e corde, aut demum denegato eiusdem liquidi ad cerebrum transitu. Quae cum ita sint, et effectus etiam horum morborum plurimi a languore virium pendeant: utilitas regiminis calidi, ad tollendos eiusmodi morbos, plurimis in casibus, patet (§. XIII.). Quoniam vero hi ipsi morbi non solum a motu enormi liquidorum, plethora, diathesi sanguinis inflammatoria, congestione sanguinis, huius etiam nimia resolutione oriri possunt, prouti sanguinea docere potest apoplexia; sed etiam motibus interdum febrilibus satis vehementibus stipati incedunt, quid? quod in nonnullis casibus ab ipso regimine calido producantur, veluti apoplexia oborta legitur ab aëre nimis calido, et liporhymiae in hysteriis ab eodem haud infrequenter nascuntur: sequitur, regimen minus calidum in morbis paralyticis et cum insensilitate connexis passim debere commendari, opusque etiam hic esse generatim, ut causae remotae istorum morborum, statusque aegrorum bene perpendantur. Simul ex his apparet, clysteres stimulantibus valideque irritantes in apoplexia vera sanguinea longe rarius, quam vulgo putatur, vel, ut rectius loquar, numquam admitti debere.

§. XVI.

III. *Febris.* a) *Quoad earum essentiam, et frigus, calorem et sudorem, quibus stipantur.*

Essentia cuiuslibet febris in iusto celeriori sanguinis motu sita est; calidum itaque regimen, utpote quod celerioris massae sanguineae motum ipsummet producit, febremque ideo accendere potest, febrium medelae adeo non respondet, ut potius repugnet. Cum vero frigus quoque, euacuationes naturales supprimendo et inflammationes nonnumquam ciendo, febrem excitare et praesentem adaugere valeat:

valeat: patet, temperatum regimen calidum omnibus, qui ex febre decumbunt, habito ad illius essentiam respectu, suadendum esse. At enim vero cum ex his nec utilitas aut noxa, nec gradus admittendi in febribus regiminis calidi satis definiri queat; hoc tamen res magni fit in curatione morborum momenti: comparatio regiminis calidi cum febrium natura paullo erit exactior instituenda. Ordinar hic a frigore, calore et sudore, quae tamquam essentialia febris symptomata considerari solent. Atque *spasmus* quidem, cum frigoris sensu stipatus sit, ortusque in cute, materialis saepe febrium causae euacuationem impediat, regimen calidum non solum suadere videtur (§. XIV), sed vere etiam eiusmodi regimen, quatenus temperatum est, indicat semper, cum eo nocui frigoris externi et interni impediatur effectus. Quid? quod notum est, in nonnullis febribus, intermittentibus scilicet, integram earum curationem regimine paullo calidiori saepe saepius, et a Veteribus et a recentioribus, peractam esse. Cum enim eo regimine (pro diuersitate remediorum, quibus vtuntur), modo relaxatione cuti inducta, modo concitato fluidorum motu, qui latera vasorum valentius extendit, spasmum febrium praecauent: omnis paroxysmus praecauetur, sudoreque elicito febrilis materia expelli potest. Qui autem perpendit, methodum hanc, sudore febres intermittentes curandi, sat arctis circumscriptam esse limitibus, quod alii sufficienter demonstrarunt; qui considerat, spasmum, qui febres comitatur, saepe a calida pendere causa, quod febres praecipue inflammatoriae testantur, eumque non raro ab acri primarum viarum materia, quae calore resoluta ad M. S. pellitur, oriri; qui demum obseruationes respicit, quae docent, sudorem in febribus, a causa materiali oriundis, conducere numquam, nisi materiae coctio et praeparatio praegressa fuerit: facile is perspiciet, regimen quidem temperate calidum, raro vero paullo calidius conducere,



plerumque vero nocere, si a febre laborantibus ob frigus febrile admittatur. *Calor et aestus* febrilis, in se spectati, regimen calidius contraindicant, moderatum admittunt et requirunt, ut partim frigoris damna praepediantur, partim etiam nonnullis regiminis calidi mediis spasmus cutaneus magis magisque solvatur, hincque cutis ad sudorem disponatur. *Sudor* denique febrilis temperatum non minus suadet regimen calidum, ut eo et retropulsio sudoris, a frigoris vi metuenda, praepediatur, et sudor ipse, a natura productus, lenius sustentetur; dissuadet vero calidum nimis regimen, cum illud vel nimis largos sudores efficiat, vel nonnumquam etiam euacuationem hanc cutaneam supprimat, febremque augeat (§. VIII.).

§. XVII'

b) *Quoad causas febrium, tam proximam, quam remotas.*

Proxima omnium febrium causa irritatio est cordis et arteriarum, grauior, quam status fert sanitatis. Cum calidum regimen, nervos et fibras musculares relaxando (§. IX), irritamentorum actionem minuere, ex altera vero parte, irritando sanguinemque commouendo, irritamentorum actionem intendere valeat: salutare et nociui regiminis calidi effectus, quos in febribus edere potest, ex causis remotis potius earumque consideratione, quam ex causae febrium proxima natura determinari debent. Istaem autem remotae causae sunt sequentes: irritatio immaterialis nervorum: plethora commota; spissitudo sanguinis inflammatoria commota; acria varia, biliosum, rancidum, putridum, acidum et alia singularia et specifica, sanguini inhaerentia; acria similia, aut viscidum in primis viis haerens; inflammatio partis magna. *Irritatio nervorum immaterialis*, tamquam febris

febris caussa, regimen calidum, vt tenfae fibrae emolliantur, postulat quidem, caute tamen circa illius vsus verfari oportet Medicum (§. XIV.). *Pletbora commota, spiffitudo sanguinis inflammatoria* exagitata, et *inflammatio partis*, a regimine paullo calidiori non possunt non exacerbari (§§. XIII. XIV.). *Biliofi* porro, *rancidi*, *putridi* origo saepe ipsi calori debetur; regimen itaque calidum in febribus, ab his caussis pendentibus, ni valde temperatum fuerit, insigni in gradu nocet. *Alia acria*, a quibus febres oriuntur, modo facile in motum intestinum, mixtionem destruente, fluida et sanguinem abripiunt, vt variolosum, catarrhale; modo cum spiffitudine sanguinis inflammatoria connexa sunt, vt morbillosum, scarlatinum, variolosum, ipsumque interdum catarrhale: modo depascente calore vires soluunt, vt id, cui hecica febris suos debet natales. Quis non videt, regimen calidum, si excedat, summopere in his casibus nocere, licet moderatum suaderi debeat, cum materiae praeparationem, coctionem et euacuationem adiuuet, saltem in nonnullis id praestet, vt nociui frigoris effectus impediatur. In *acri* materia, quae primas vias infestat, regimen paullo calidius non solum praedicta incommoda secum ducit, sed pellit etiam male mixtam materiam ad oceanum humorum, quo ipso non raro summa sanguinis corruptio efficitur. *Spiffa* demum materia, in his ipsis viis haerens, febrium intermitentium non infrequens caussa, facilius regimen calidum fert, quid? quod, vt resoluatur postulat, ex parte, si sola adsit, neque acre forsitan ipsi adhaereat; cauendum interea, ne regimine nimis calido parca fluidi pars excernatur, hincque viscidae materiae copia potius increseat, quam decreseat.



§. XVIII.

c) *Quoad reliqua symptomata februm praecipua, et sequelas a superata febre superstites.*

Praecipua februm, generatim consideratarum, symptomata, praeter illa, quae §. XVI. pensauimus, a celeriori sanguinis, saepe etiam intensiori illius circulo pendent. Agrypniae, deliria, laesa respiratio et alia hinc proficiscuntur. Neminem latere potest, haec omnia, observato calidiori regimine, adaugeri (§. XIV). Hinc februm etiam symptomata moderamen regiminis calidi postulant. Idem requirunt sequelae, a superatis febribus non raro superstites, debilitas nempe corporis, et viscerum praecipue obstructions. Calor ipsemet, si magnus fuerit, debilitat, et praeter ea febrem auget; vtroque modo debilitatem, a febre relictam, maiorem reddit et diuturniorem. Calidum quoque regimen, si immoderate in febribus admittitur, fluida condensat, vnde obstructions viscerum, quas multae febres nimis frequenter produciunt, facilitantur et grauiore euadunt.

§. XIX.

d) *Quoad solutiones februm naturales easque salutare.*

Tria sunt, quae solutio naturalis februm, a materiali causa proficiscentium, requirit, *resolutionem* nempe spissi et visceri; *blanditiem* illius, quod nimis acre est; *euacuationem* demum particularum nocentium. *Resolutio* spissi et visceri, cum frigus condenset, calor vero soluat, regimine calido adiuuatur; si tamen excedat, tantum abest, vt resoluat, vt potius fluida condenset. *Blanditiem* acrium perficit Natura, dum acria cum diluente aqua fluidorum, horumque particulis obuoluentibus commiscet. Moderatus calor hunc actum promouet; immoderatus contra ea, qui ipsa liquida nimium resoluunt, fluidissimam eorum partem expellit,

lit, sanguinem demum acrem reddit, non poterit non Naturam in eo opere turbare. *Euacuatio* demum nocentis materiae in febribus praecipue impetratur haemorrhagiis, sudore, vomitu, diarrhoea et vrina. Calidum regimen, quatenus vasa laxat motumque materiae adiuvat, egregie has euacuationes sustentat; nocet autem, si nimium fuerit, dum modo istas excretiones nimium auget, modo etiam plane supprimit. In unico tantum casu paullo validius regimen calidum conducere videtur, quando nempe susceptum miasma nondum sese arctius cum sanguine coniunxit, tunc sudor vi elicitus egregia saepe emolumenta attulit.

§. XX.

Celeberr. DIMSDALE methodus Variolis insitiuis medendi.

Atque haec de regiminis calidi ad febres respectu generatim dicta sufficiant; limites enim Scripti academici me impediunt, quo minus ad species febrium praedicta applicem. Iuuabit tamen his nonnulla de methodo addere, qua celeberr. Anglus, *Thomas DIMSDALE*, variolis insitiuis medetur, quamque etiam in naturalibus vtilem futuram esse iudicat. Finis huius methodi generatim in eo consistit, vt imperus humorum non solum a cute ad intestina magis deriuetur, sed etiam, quantum fieri potest, infringatur, cum febris celeberrimo huic Viro inutilis et damnosa videatur. Commendat itaque laxantia, aquae frigidae porum, et motum corporis in aere susceptum, licet tempestas pluuiosa, iniqua sit. Confer. eius *Neue Methode für die Einpfropfung der Pocken*. Non possunt observationes, quas ad laudandam hanc methodum collegit, in dubium vocari, cum sufficientes dubitationis rationes deficiant. Quodsi interea quaestio proponatur: num ista methodus laudari, commendari de-

debeat, numque eam imitari liceat? negando ad eam respondere nulli dubitamus. Deriuatis enim, vsu laxantium, humoribus a cute ad intestina, copia equidem pustularum in cute minuitur; dum vero sic materiam a loco ignobiliore ad nobiliorem ducimus, nonne contra methodi medendi regulas peccamus? Vsus potus frigidi et motus corporis, in frigido aëre suscepti, supprimit, minui quidem potest febris: nonne vero sic salutare Naturae molimen opprimimus, quod expellendae materiae miasmaticae par est? Non possum itaque non calculum adiacere illius clarissimi Viri sententiae, qui in Heluetia germanicae praedicti cel. DIMSDALE libelli editionis existit Auctor, quique celeberrimo DIMSDALE, quod communicatas obseruationes attinet, suam non derogat fidem, se tamen his non posse eo adduci, vt Anglum imitetur, dicit.

§. XXI.

IV. *Haemorrhagiae.*

Haemorrhagiae insalubres, vt reliquae haemorrhagiae, dilatationi vasorum seroforum aut solutioni continui, aut resolutioni sanguinis debentur. Calor relaxat, motum sanguinis intendit, fluida potenter resoluit. Nonne hinc manifestum, calidum regimen haemorrhagias insalubres facile adaugere? Cum vero frigus, inducto spasmo, fluida magis magisque in locis affectis accumulare queat, cumque haemorrhagiae insalubres soleant spasmis in partibus oppositis stipari, quos lenire oportet Medicum: sequitur, temperatum regimen subiectis, haemorrhagia insalubri laborantibus, conuenire, opusque esse, vt loca, parti haemorrhagiae opposita, calida seruentur. Quod *salubres* attinet haemorrhagias, cum frigus eas supprimat, regimen calidum omnino sibi vindicant, caute interea in eo admittendo esse debemus, ne, inducto orgasmo, haemorrhagia supprimatur potius, quam adiuuetur.

§. XXII.

§. XXII.

V. *Tumores hydropici.*

Duo imprimis sunt tumorum genera, quibus calidum regimen destinatur, *inflammatorii* nempe et *hydropici*. De illis plura non addam, cum ex supra dictis iam intelligi queat, quam caute circa regiminis calidi vsum versandum sit, si inflammationes Medico curandae offerantur. Quod vero hydropem attinet, de eius ad calidum regimen respectu pauca adiciam necesse erit. Eo generatim adniti solent, in eius curatione, Medici, vt illa aquarum quantitas, quae in his illius locis stagnat, per excretionem quasdam intensiores euacuetur. Cumque simul obseruent, non facile plerumque euenire, vt maiorem excretionum gradum adipiscantur; hydropici praeterea de frigoris saepe sensu conquerrantur, isteque morbus frigidis subiectis magis sollemnis obseruetur: factum inde, vt plurimis in casibus calidiora saepeque valde irritantia remedia elegerint. Quoniam vero hydropes dantur, qui, docentibus id obseruationibus, inflammationibus, tamquam morbis calidis, accedunt; cum quaelibet fortius irritantia massam sanguineam soluant, et hydrops nonnumquam a nimis resoluta sero oriatur; cum porro tumor eiusmodi aqueus solis interdum spasmis debeat, qui, vsu remediorum irritantium, magis crescunt; cum demum quaelibet fortior euacuatio hydropis haud raro incrementum potius, quam decrementum produxerit: perspicitur hinc, a calido regimine posse nonnumquam insignia damna, quoad hydropicos, oriri. Cum interea calor moderatus excretionem placide promoueat, solida relaxet, fluida resoluat, vasa irritet et motum humorum intendat: calidum regimen, si moderatum fuerit, semper in hydrope conducet. Quid? quod patet, si causa calida non adfuerit, incrementum caloris maius posse salutarem exferere effectum. Pluribus confer. *Illustr. et Vener. BÜCHNERI Dissert. de diuersa Hydropi medendi metodo.* Halae 1764.



§. XXIII.

VI. *Morbi ex acedine humorum.*

Si generatim morbos consideres, qui ab humorum acedine suam sumunt originem, resolutio et euacuatio acris summa sunt, quae in illorum curatione attendi debent, momenta. Nunc vero calidum regimen et resolutionem promouet, et euacuationem. Quapropter eatenus in his morbis concedi, laudari et commendari meretur, notumque est, quam felici saepe successu in venereis morbis sudorifera methodus, quae calida postulat, adhibita sit. Cauendum interea, ne, regimine nimis calido admisso, corruptio humorum augeatur, atque sic nonnumquam ex morbo chronico acutus fiat. Quam frequenter enim obseruationes docent, quod purpura chronica, resoluta materia viscida, quae aere purpuraceum obuoluit, in morbum vere acutum febremque purpuraceam abeat?

§. XXIV.

Cauto regiminis calidi usu et in sanitate et in morbis opus est.

Ex omnibus hucusque allatis, haec demum facile colliguntur: regimen scilicet calidum tam in tuenda sanitate, quam in tollendis et praecautendis morbis, innumera mortalibus largiri commoda, posse tamen illud non minus sanitatem destruere, morbos vero accelerare et intendere; opus itaque quam maxime esse, vt eiusmodi huius regiminis gradus aegris et sanis commendetur, qui morbo praesenti, et in diu iduali subiectorum constitutioni accuratissime respondet. Cautus idcirco illius usus sit necesse est, i. e. constitutio subiectorum, morborum praesentium natura, eorum causae et symptomata, immo (sunt enim satis diuersa) media ipsa, quibus regimen calidum absoluitur, summa cum cura et solertia perpendantur, antequam gradus regiminis calidi maior minorue commendetur, adhibeatur. Contentus generalioris huius asserti demonstratione, filum hic abrumpo.

PRAE-



PRAENOBILISSIMO ATQVE DOCTISSIMO
C A N D I D A T O

S. P. D.

ANDREAS ELIAS BÜCHNER

FACULTAT. MEDICAE SENIOR, ET H. T. DECANVS.

Licet materies Scripti, quod edis, ab aliis iam, idque et copiose et eleganter, tractata sit, atque ideo pertrita et vltiore examine indigna haberi queat; non minorem tamen, quam qui nouis student, laudem mereri mihi videris, cum res, quam enodandam TIBI sumisti, non solum vtilis atque summi sit momenti, sed ita etiam a TE exposita, vt sponte vnicuique appareat, TE, remotum a seruili quorundam studio (illos volo, qui libros quidem legere et exscribere, inque iis contenta memoria tenere vident, haec vero, suo non vtentes ingenio, in succum et sanguinem conueregere nesciunt), propriam diligentiam propriumque adhibuisse ingenium. Satisfecisti sic Celeberrimis TVIS in Academia Lipsensi Praeceptoribus: satisfecisti etiam magnae illi spei, quam de TE concipere debebant, qui norunt, TE Abavunculo quidem *Ioann. Adam. KVLMO*, Viro Celeberrimo et in Anatomia versatissimo, PATRE vero, Viro Excellentissimo gaudere, qui apud Gedanenses felicissimam exercet praxin, propriisque clarus est meritis. Gratulor itaque TIBI, DOCTISSIME CANDIDATE, de studiis academicis feliciter exantlatis, deque promeritis in Medicina honoribus, quibus quam diutissime fruaris; PATRI autem TVO Celeberrimo et Patriae de filio et Medico scientia medica liberaliter instructo. Nil ceterum magis opto, quam vt TIBI, iter litterarium in TVAM et proximi vtilitatem suscipienti, DEVS T. O. M. benignissime adesse velit, TEQUE saluum et sanum in dilectam patriam reducat. Vale, meque ama. Dab. in Fridericiana d. III. Octobr. MDCCLXVIII.

FILIO




FILIO SVO DILECTO ET VNICO

S. D.

IO. ERNEST. KVLMS.

Cum in procinctu sis, ut, absoluto studio academico, honores in Medicina summi ex merito TIBI conferendi sint, non possum, quin gratulabundus, litteris hisce animi paterni erga TE mei publicam exhibeam tesseram. Theoriam in omnibus fere scientiis, imprimis autem in Arte salutari, maximam absoluere partem, extra omnem dubitationem est positum. Neque negandum, Medicos, scientiarum ad Theoriam spectantium ignaros, cocorum instar palpitare, et successu optato scopum, quem sibi proposuerunt, in Praxi clinica attingere non posse. Verum falleris, si putares, labores hoc modo iam finitos esse. Dies diem docebit, et usu et aetate, in enodandis difficilioribus morbis, multa deteguntur, quae desiderantur, et adhuc restant. In arte facienda fere consenui, et liberrime fateor, saepe malum plus valere docta arte. Non vero TE haec ab opere deterreant. Manet Arti salutari sua dignitas, quae eo plus eminent, quo difficilior. Insisse porro vestigiis Celebris quondam Anatomici, IOANNIS ADAMI KVLMI, abavunculi meritissimi. Insisse doctrinis Celeberrimorum Doctorum, et Illustrium Professorum, qui TE, scientiis imbutum, dignum reddere voluerunt, ad laboris et diligentiae fructum capeffendum. Sis incolumis, et fruaris inconcussa valetudine, ad persequenda TVA itinera, vt TE tandem felicem, reducem in patriam, adhuc vivus, amplecti possim. Vale. Gedani d. XXVIII. Septembr. MDCCLXVIII.








PICA





14

DISSERTATIO INAUGVRALIS MEDICA
DE
CAVTO REGIMINIS CALIDI
V S V

QVAM
INDVLTV
GRATIOSI MEDICORVM ORDINIS
IN ALMA RE
P R A

D. ANDREA

SACRI ROMA
POTENTISSIMI PRVSSIA
MEDICINAE ET PHILOSOPHIAE N
FACVLT. MED. ET PHILOSOPH
IMPERIALIS ACAD. NAT. CVRIOS
REGIARVM SOCIETATVM SG
ET MO

PRO GRA


SVMNISQVE IN
ET PRIVILEGIIS DOCTO

D. V. OCTOBR.

PVBLI

IOANNES LVI

GED



HALAE AD SALAM

